

tior, tardior pro aetate, ossis crassitie, pondere, incubituro, vario tempore, intra 20. & 70. dies.

## L U X A T A.

358. **L**uxatio est recessus extremi ossis mobilis ex cavo, in quo naturaliter movetur, cum motus impedito.

359. Qui integer, vel pro parte; unde luxatio, & distortio.

360. Pessima, quae epiphyssi ab corpore ossis soluta accidit.

361. Causa vis externa extendens, intorquens, expellens.

362. Aut interna, cavo innata, extrudens.

363. Hae causae (361. 362.) juvantur extensis, laxatis, ruptis ligamentis, sive id ab externa, sive ab interna causa.

364. Hinc figurae in parte mutatio, tumor, cavitas, elongatio, accurtatio membri, immobilitas, distractio musculorum, torpor subjacentium, paralytis, vasorum vicinorum compressio, dolor, pervigilium, inflammatio, oedemia, ancylosis, convulsio, marcor, mors partis, vel & totius.

365. Ex quibus notis signa evidentia habentur luxationis.

366.

366. Et expensis magnitudine, figura, situ, parte pressa & intercepta, tempore durationis, concretionem luxatorum, dolore, inflammatione, convulsione, & reliquis symptomatibus, partibus ambientibus tenuioribus, crassioribus, ligamenti destructis, vel modo elongatis, musculis annexis, & similibus, prognosis habetur, quae doceat, an integra, an deficiens, celeris, tarda, facilis, vel difficilis futura sit sanatio.

367. Ad quam requiritur. 1. luxatorum redaptatio, 2. repositorum in suo loco ad sanationis finem retentio.

368. Repositio fit. 1. firmando corpus aegri. 2. movendo partem, ut directe respondeat suae cavitati. 3. introducendo per intorsionem, trusionem, pulsationem.

369. Reposita in quiete retinentur quiete, fasciis, situ partis naturali.

### INFLAMMATIO.

370. **I**nflammatiō, Ignis, Phlegmone, ob causae, & effectuum similitudinem, ab igne nomen habet.

371. Estque sanguinis rubri arteriosi in minimis canalibus stagnantis pressio & attritus a motu reliqui sanguinis moti, & per febrim fortius acti.

F 2

372.